

Casuum, eujus ipfi edagulum oculati testes non exploraverint, vetitum sibi ducunt, metu ne forte lac aliquod vetiti alio animalis habeat admixtum, vel saltem pellis aliquid in coagulo laterit; que simul ab imprudentibus unâ cum casco degustata reos prævaricatos Legis damnet. Accedit alia timendi ratio, ne scilicet lebes idem pro casco, qui forte pro elixandis carnibus, adhibeatur. Quem itaque cascum oculati testes exploraverint, hunc signo aliquo apposito distinguunt. Cavent ne communi igni juxta positum lac & carnes decoquantur; sicuti ne communi utraque fercula mensæ apponantur; vel si forte apposita fuerint, curant saltem distincta subint utriusque mappæ, neque è regione, vel juxta posita se invicem respiciant (p). Quicumque carnes degustaverint, illi unius vel etiam sex horarum spatium (quæ est superstitionis religiosorum religio) à lacticiis abstinendum; quamquam & in eodem convivio utrumque permittitur, modò fricatis dentibus & ore, arentisque panis frustulum mandentes, odorem omnem & saporem carniū absterferint.

p Buxtorf. Syn. ag. Jud. c. 26.

Sanguinis usus, interdicitus.

Quæ in Lege conceptis verbis exprimitur sanctio, ut à sanguine abstineant Judæi, religiosius ab illis servatur; nullum enim terrestrem animal in cibum adhibere sustinent, quin prius jugulatum ab omni sanguinis admixtione repurgetur. De piscibus nihil curant, rati nihil de sanguine piscium in lege caveri; quippe qui alterius sit à sanguine terrestrium naturæ. Jugulari autem animal non nisi à peritissimis datum, cum plura sint minutissima observanda, puta aptum tantæ rei tempus, locus selectus, benè limatus culter, quò citò sanguis & non interruptus distillat. Excipiendus est autem sive in cinerem, sive in terram sanguis, exceptisque statim operiendus. Neque ritè jugulare, aut è vena animalis sanguinem haurire vulgaris peritiæ & eruditionis res est. Amplioribus voluminibus grandis hæc scientia continetur, ubi minutissima quæque Doctores prosequuti sunt; usque à studiosis Judæis evolutis, cum intima ejus scientiæ pervaderint, accedente insuper exercitationis peritiâ, testimoniales literas à Rabbinis accipiunt, quibus publicum documentum de viri solertia reddatur, idoneusque habeatur ab omnibus, ut jugulare animal & ritè exanimare, tum ab eo jugulata tunc possint à Judæis in cibum adhiberi. Jubentur autem quicumque eas literas acceperunt, scriptas de cæremoniis ritibusque Lanionum leges evolere, semel quidem singulis recurrentibus septimanis primi anni; secundi verò singulis mensibus, ac tandem reliquo vitæ spatio quater in anno. Libri hujus titulus inscribitur: *Hilchoth schechilot & bedicoth*; i. e. leges servandæ in jugulandis animalibus, inspiciendis si forte vitio aliquo ad maculam inducendam laboraverint.

Laniones, & animalia examinantes.

Lanionibus hisce varii pro varietate animalium sunt cultri, ampliores in boves, minores pro pecudibus inferioribus. Acutissimos adhiberi oportet, & minimè den-

tatos, alioquin haberentur impuri, sicut neque carnes in cibum permitterentur. Primum omnium jugulanda pecudis ligant pedes; dein in terram prostrate uno idu jugulum amputant, nempe exophagum, asperam arteriam, & vasa illis juncta; suspensam post hæc in aera victimam sedulo inspiciunt, num vulneris aliquid habuerint, sive quid in vesiculis sanguinis retineat. Si forte enim simile quid deprehendatur, tunc interdicitæ carnes, cæteris tamen à Judæis permittæ. Idem & in avibus servabatur. Cautum est, ne eadem simul die mactetur vacca cum foetu; quemadmodum nec ovis vel capra cum catulo. Si quadrupes vel avis purus morticina fuerint, sive alio quodam mortis genere, ac Judæis præscripto intercederint, nefas Judæis ex illis degustare. Si ulcere aliquo in pulmonibus, vel alibi, sive etiam interno aliquo vulnere vitentur, esto interdicitæ. Idem cautum si os aliquod contractum fuerit in membris à Rabbinis indicatis, sive forte animal in mortis discrimen venisset.

q Gen. 32. r Buxtorf. Synag. c. 27. ad finem. Judæi omnes quotquot à fide Judaica ad Christianam se converterunt, scribunt unanimiter, eos carnes istas prius maculare, & ut liberi ipsarum super eas mangan curare, maledictioneque super eis dicentes, ut emptor Christianus carnes illas edens mortem edat, optare.

Quò Legem sanguinem vetantem exactius observent, præter descriptas supra cautiones, illas etiam addunt, evellendi scilicet ampliores venas, nervos, & adipem. Immergunt dein victimam aquæ, ac semel lotam iterum lymphâ puriori lavant. Tum siccanda exponitur in lamina, post laminam in vase perforato, quò scilicet sanguis omnis effluat. Demum unius sive duarum horarum spatium evoluto, in cibum permittitur.

Ab adipe & posteriore; femoris parte abstinent.

À posteriore femoris, qua coxendicibus jungitur, parte abstinent, memores historiæ Jacob, qui post luctam cum Angelo, contractum ejusdem Angeli tactu femur retulit (q). Sed in Italia eam inveniunt rationem, ut detracto femoris nervo, tunc deinde cætera devorent. Hæc tamen peculiarem exigunt artem, non omnibus Judæis cognitam. Solent interdicitam hanc partem femoris Christianis vendere, quam prius maledictis onerasse seruntur, quin & urinâ maculasse in invidiam nominis Christiani (r). Adipem bovis, agni, capræ vetitum sibi Levit. 3. ult. censent: *Omnis adeps Domini erit in cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*. Hæc tamen non nisi de vicinis sacrificiis præscripta facile judicamus. In sacri ficiis enim sanguis, & adeps victimarum soli Domino reservabatur.

Ova.

Ed usque conceptum in sanguinem horrorem provexerunt, ut vel ab ovo in quo forte tenuis aliqua sanguinis macula apparuerit, abstineant. Quare antequam ovum igni subjiciant, excludunt, & contentum liquorem in lance repandentes, vel ex uno in aliud ovi putamen transferentes, sedulo inspiciunt, num aliquod sanguinis laterit; quod ætate maximè solet contingere. Si pullum aliquem gallinæum mactaverint, ovis quibusdam foetum, ova illa statim aquæ, deinde fali immergunt, ut ab omni sanguine repurgetur.

Animalia pura & impura.

Cautum est Hebræis, ne in cibum adhibeant quadrupedem, non bisido ungue gradien-

dientem, neque ruminantem. Abstinent à sue, lepore, cuniculo, cæterisque Levit. 11. expressis, quamquam alioquin nostræ grate ignotis. Carnivoram aves rejiciunt, sicut & pisces sine squammis, & aliis, ac tandem omnis generis reptilia. Fit inde, ut dapes omnes non coctas à Judæis recuset, sicut & caveant ab utensilibus culinariis, mutuo ab aliis quàm à Judæis acceptis, vetiti ne quid ex vetitis cibis maculæ, seu vetiti succi contineant; quin & ab alienis etiam cultris se continent. Cum ruri morantur, ipsi sibi dapes parant, emptis ad eam rem vasis fictilibus novis, nullisque usibus antea addictis. Emunt animalia, pisces, & aves adhuc viventes, mactatis enim paratisque ab aliis nunquam uterentur.

Panis.

Solebant olim Hebræi ex farinæ aquâ subactæ masâ primitias Sacerdotibus & Levitis Domini offerre, juxta præceptum Legis Num. 15. 20. Quantum autem offerrent, nihil præscriptum à Moysè. Sed quadragesimam, & sexagesimam partem DD. determinarunt. Hodie, ut legis memoria aliqua maneret, ex farinæ aquâ subactæ masâ modicam aliquam portionem crudam igni absumendam injiciunt. Sed ejus cæremoniæ nulla est obligatio, nisi farinæ aquâ subactæ masâ 40. ovorum molem æquaverit. Præceptum istud ex tribus unum reputatur, quod feminas adigit; conficiendi enim panis munus ad feminas plerumque spectat (s). Quamquam autem aliorum ministerium in re cibaria repuere soleant, in itinere tamen confecto à Christianis pane vescuntur.

s Leo Moden. par. 2. c. 9.

Azyma.

Totâ Paschæ octavâ exordio facto à meridie prævigilii, ab omni fermentati panis usu abstinent. Hujus præcepti à Moysè dati Exod. 13. 15. 16. religionem exactius

observaturi, domum universam sedulâ, quin superstitionis perquisitione evertunt, ut ne mica quidem panis fermentati remaneat. Exordium perquirendi ante duos vel tres dies capiunt, singula scrutantes omnia, summoventes è loco armaria, arcas, fellas. His peractis, ahenum aquâ plenum ad ignem suspendunt, ut calenti aquâ vasa omnia mundentur. Post calidam affundunt frigidam (t). Lavant etiam merâ aquâ utensilia omnia, quæ ahenum non capit, uti mensas, fellas &c. Quò autem mundiora sint omnia, forcipe quadam apprehensam ferri ligulam, sive lapillum igne candentes super utensilia aquâ abluenda suspendunt, quasi igne & aquâ purgaturi omnia. Lavant & ahena ebullienti intus aquâ, atque injectis candentibus carbonibus &c. Ea est Hebræorum in fermentum superstitionis.

t Vide Buxtorf. Synag. c. 12.

Potus vinum.

Ex Rabbinorum doctrina interdicitur Hebræis vinum, aliorum quàm Judæorum manibus expressum. Apud Orientales ea lex etiam obtinet, apud Italos contrariâ consuetudine abolita est (u), illud prætententes, Rabbinos, dum legem illam constituerunt, in media versatos fuisse idololatria, quæcum nullam volebant consuetudinem. Hodie verò populi, quibuscum vivunt Judæi, ab idololatria alieni sunt, juxta ac Rabbinis declararunt. Ceterum vinum maximi æstimant; scriptum est enim Pl. 103. 15. *Vinum latificat cor hominis*; & alibi Judic. 9. 13. *Latificat Deum & homines*. Quosdam in vino ritus observant, e. g. ineunte & exeunte die aliquâ festâ, in conviviis nuptiarum, & circumcissionis, cum scilicet conceptæ quædam benedictiones super vinum pronunciantur, & postquam vinum hauserint, benedictionem recitant.

u Leo Moden. p. 2. c. 8.

DISSERTATIO

DE SYSTEMATE MUNDI EX VETERI Hebræorum sententia.

Res est admiratione digna, cur in Mundo positis, Mundi ferè omnia lateant. Postquam tot annos & sæcula in disputationibus de Mundo trivimus, juxta illud Eccl. 3. 11. *Mundum tradidit disputationi eorum*, agrè habitudinem & structuram terræ, quam colimus, habemus exploratam, quin nec nisi ejus superficiem, minimamque proinde Mundi partem colimus. Reliqua omnia ad systemata reducta sunt, coactique simplices hypotheses de illis formare, ab omni præcludimur spe, ut temporis beneficio certiora tandem aliqua assequamur. Omnia quæ veteres eâ de re excogitaverunt, sicut & inventa omnia il-

lorum, sæculorum successu eversa sunt, atque novis succedentibus hypothesibus, nostrâ ætate rejecta. Idem etiam timendum nobis, ne forte scilicet novis inventis thesibus, nostrâ omnia aboleantur. Semper tamen plena tenebrarum res erit, atque arduis difficultatum salebris impervia. Videtur planè Deus elegantiam & magnificentiam operis sui adè delectatus, ut sibi soli artificium omne cognoscendum, atque inspiciendam omnium motuum & revolutionum rationem servaverit. Gustum tantum, & ejus rei tenuem radium nobis permittit, quantum scilicet satis est agnoscendæ Artificis sapientiæ, non quantum nostris votis, atque omnia explorandi pruritu sufficiat. Universi ejusque partium flu-

studium una est ex laboriosis illis occupationibus, quibus Deus homines exercendos tradidit juxta illud Eccle. 1. 13. *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.* Quantum homines in ea re laboraverint, tantum sibi laborandum esse sentient: *Multa a se condita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus [a].*

Eccl. 43. 36.

Nemo unquam à SS. Scripturis exegit sive rigorem aliquem philosophicum, sive exactam illam loquendi rationem, quam humanarum scientiarum præceptores eorumque discipuli sectantur. Spiritus S. omnibus simul verba faciens, omnium captui quâ doctis quâ indoctis sese accommodat. Sunt qui populares tantum loquendi rationes usurpent, uti vulgus indoctum; sed illud æquè philosophicis & elatioribus phrasibus impar est. Quare ne quid rudes fugiat, totusque demum Univerfus ex Oraculis Divinis proficiat, sapientissimi fuit Naminis, ut ad simplicium captum se se accommodaret, atque exhibitâ rerum maximarum ideâ Sapientum simul meditationes detineret. Nostri verò post hæc munus est, ut plenam bonitate & indulgentiâ oconomiam vultu in terram prono veneremur.

Quæ hucusque philosophati sumus non satis attendentes Commentatores quidam, ad explorandum latentem obscurissimorum verborum sensum se contulerunt. Quare vocem illam vulgarem, qua Author facer usus est, offendentes, pro eo quòd loquentis spiritum penetrarent, omnem verterunt curam, ut vocis tantum ideam exprimerent; ideas simul Religionis & philosophiæ omnes ad illam accommodantes. Ita e. g. dum Scriptura prædita intelligentiâ bruta exprimere videtur, instructum corpore Deum, animâ prædita insensibilia, prompti accurrunt Interpretes, monentes hæc omnia popularia esse, atque ad captum vulgi potiùs quàm ad veritatem accommodata. Optimè illi quidem; sed oportebat ulterius, ut ideas simul eâ de re populi exponerent, an vera illi sentirent, vel falsa; post hæc omnia, si res ferret, eorum opinionem refutare. Nil tamen apud illos tale; singuli Authorem Sacrum ad propriam sententiam detorquebant; singuli de sua opinione illis imponunt; loquentem induxerunt Moysen & Salomonem, veluti transformatos in Ptolemæum, Galilæum, Copernicum, sive Cartesium. In primo capite Geneleos singuli suum creati Mundi systema legisse sibi videntur. Prodiit non ita pridem Liber inscriptus: *Cartesius Mosaisans*, quo Mundi Mosaiici systema cum Cartesiano componitur.

Neque impræsentiarum legem imponere nos aliis audeamus, cæteris prudentiores nos doctioresque jactantes. Fateamur quin etiam in vulgarem sæpè abreptos sententiam, quæ cæteri de Schola sentirent, & sensisse nos olim, & cum nostris præjudiciis Sacros Authores composuisse. Verùm collatis inter se variis Scripturæ locis, ubi de partibus Univerfi, in-

telligimus tandem de Mundi systemate veterum Hebræorum sententiam aliam, planè esse à nostris systematibus, & accedere non raro, ut Textum torquemus, illum nostris præjudiciis mancipantes. Quod detegendo errori nobis contulit maximè, vagantesque mentis nostræ ideas determinavit, lectio fuit Patrum, & veterum Philosophorum, quorum isti, Philosophi, eandem Israelitarum de structura mundi opiniones sive traditione sive aliter acceptas secuti sunt; illi verò, nempe Patres, pro ea, qua tenebantur, in Scripturas sacras observantiâ, vetitum sibi esse rati, ut earum sensum ad suos detorquebant, literæ auctoritatem in primis sibi præferendam sumpserunt, primam illam secuti ideam, quæ legentibus sese ultro offerebat; ex qua junctum constantique systema, veterum Hebræorum perquam conforme statuerunt. Quare nos in præsentia post adductos Scripturæ textus, ejus hypothesein ex similitudine cum hypothese veterum Philosophorum, & Patrum explicabimus. Id erit nostræ hujus Differtationis argumentum & methodus.

ARTICULUS I.

Mundi Creatio.

Totam creati Mundi historiam apertissimis verbis explicat Moyses Gen. 1. 1. &c. *In principio creavit Deus Cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, [Hebr. in chaos] & tenebra erant super faciem abyssi; & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux; & facta est lux. Et divisit lucem à tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.* Hæc primæ diei opera. Alterâ die Dei jussu stetit firmamentum, mediumque constitutum est inter aquas inferiores, & superiores, quod Cæli nomen obtinuit. Tertiâ die aquæ in locum unum secesserunt, arenam terram relinquentes. Quartâ micant astra diu nocteque terræ invigilantia. *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præset diei; (nempe solem) luminare minus, ut præset nocti, (nempe lunam & stellas).* Quintæ diei opus sunt pisces, avesque. Sextæ homo & animalia terrestria.

Mirari subit simplicem aded historiam narrationem variis distitisque singulorum Philosophorum systematibus servare potuisset; ut omnes simul Philosophi suam in Moysen hypothesein legisse sibi viderentur. Exhibet Historicus sapientissimus Dominum veluti potentissimum opificem, intentum priùs materiæ disponendæ, atque in certos ordines dirigendæ, cui operi plurimum dierum spatium insumpto, tandem veluti jam completo requievit. Docet creatum Deum noctem diemque, antequam solem & cætera radiantia corpora formasset; quod non ita facile assequimur; solem & lunam tanquam duo maxima luminaria exhibet, illud tacitè insinuans, lunam, astra omnia, & stellas magnitudi-

ARTICULUS II.

De terra, ejus forma, & quiete.

ne suâ plurimum superare, quod evidentissimè totius Astronomiæ observationibus repugnat. Tandem terram inducit veluti immani constantem corpore, cujus servitiis cæteras Deus creaturas destinavit; cum alioqui exploratissimum sit, terram nonnisi minimam esse totius univèrsi portionem. Nihil præterea apud illum de Angelis, cæterisque Spiritibus, quanquam ex ejus Libris bonorum malorumque Spirituum veritas addiscatur. Sed non est nobis in præsentia quæstio de veritate sive falsitate hypothese Hebræicæ, eam tantum exactè descripsisse contenti.

Creati mundi idea per omnes latè populos propagata, vivida semper apud omnes ferè mansit, quemadmodum è systematibus veterum propè omnium intelligimus; & probant hypotheseis Ægyptiorum apud Diodorum Siculum lib. 1. Phœnicum apud Sanchoniatonem (*), Chaldæorum, cujus extant varia eâ de re fragmenta, paucis ante annis impressa apud Stanlæum historiæ Philosophicæ par. 13. Idem cum Hebræis eâ de re sensisse Idumaos ex Job 38. 4. &c. intelligimus. Græci, veteribus alioqui traditionibus præ barbaris iniquiores, quemadmodum Oraculo exprobrante accusati sunt (b); aequius tamen eam traditionem servarunt, ut ex systemate plurimum ejus gentis Philosophorum constat (c). Ex his fontibus hauserunt Latini systema illud, quod Ovidius in suis Metamorphosis egregiè profecutus est. Conveniunt ferè omnes, mundum exordium habuisse aliquando. Dissident verò in ejus Authore constituendo; alii enim ejus rei meritum referunt in summum atque potentissimum Numen; alii in animam mundi; alii in motum; sunt qui in aera, sunt qui in amorem, quo sovente movetur chaos, & fecundatur, ut tandem terram gignat, & animantia. Epicureorum sententia tenet, materiam æternitati cogvam fortuito casu in mundum coivisse. Nihil tandem certi eâ de re; vagantibusque Philosophorum opinionibus determinandis nunquam à Religione suppetiæ petiæ sunt. Non eadem planè fuit apud Hebræos errandi licentia, quod excellentiæ eorum systematis præ aliis documentum est præclarissimum. Eadem apud illos constantique de gravissima hac controversiâ, nempe de mundi creatione, sententia; ratum semper habuerunt, visibilia & invisibilia omnia in unum Deum authorem esse referenda; quod etiam potissimum Religionis suæ dogma habuerunt. Uno Dei omnia valentis verbo chaos ac cætera deinde omnia è nihilo emerisse sustinent (d), totamque mundi molem unici fiat pronuntiatione constare, & nihilo operosiori negotio omnia Dei potentia conservari, ne in nihilum recidant; ac tandem ejus voluntati & providentiæ omnia submitti. Hæc sententia Hebræorum omnis avi & regionis.

* Apud Euseb. Prepar. Evang. l. 1. c. 10.

b Porphy. ex oraculo Delphico apud Theodoret.

serm. 1. cont. Gent.

c Vide Aristoph. & Euseb. Prepar. cap. 7. & 14. c. Tull. l. 2. Act. dem. 22.

d Psal. 32. 6. Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Terram semper exhibet Scriptura veluti immani constantem corpore molem, quam undique mare alluit, & pelago innatantem; non raro etiam in medio vacui spatii & nihili suspensam inducit; utramque enim sententiam apud Hebræos obtinentem animadverto. Apud Job (e), & Isaiam (f), non obscuris verbis insinuari videtur, terram in medio aeris invisibili quadam & potenti dexterâ tenente regi; quamvis Scriptores ceteri super aquas extensam, sive constitutam asserant. Job: *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Isaias. *Qui mensus est pugillo aquas, & Cælos palmâ ponderavit; qui appendit tribus digitis molem terræ.* His omnibus phrasibus illud insinuari credimus, quod maximè arrisisse Veteribus infra demonstrabitur, terram nempe in medio suspensam libero in aere fluctuare. Verim quæ de fluctuatione terræ aquis innatantis asseruntur, & numero vincant & perspicuitate.

Psal. 33. 2. *Ipse super maria fundavit eum, (Orbem terrarum) & super flumina præparavit eum;* & Psal. 135. 6. *Firmavit terram super aquas.* Job, cujus de constituta terra testimonium supra citavimus, cap. 38. 4. 5. ait: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indicamibi, si habes intelligentias. Quis posuit mensuras ejus, vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidate sunt, aut quis demisit lapidem angularem? Et Isaias 40. 22. Numquid intellexistis fundamenta terræ? Quis sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locusta? His sanè geminis Textibus terra exhibetur veluti ædificium stabile, & inconcussum; utrinque verò nihil de aquis legimus. Salomon in Proverbii (g): *Quando appendebat fundamenta terræ, (sive quando fodiebat) cum eo eram.**

Jeremias 31. 37. *Si potuerint investigari fundamenta terræ deorsum, si Cæli sursum, & ego abiciam universum semen Israel.* Vehementem aliquem terræ motum, qui montes funderet, exprimere volentes sacri Scriptores, concussa dicunt fundamenta terræ, & hinc inde solo fontium scaturigines patuisse (h).

Apertissimè pro sententia terram super aquam constitutente Jonas 27. ita enim ille de se, cum in ventre piscis clausus detineretur. *Ad extrema montium descendit, terra vestes concluserunt me.* Queritur Propheta veluti captivum se detineri in imo sub terra carcere, ad ima depressum, ubi terræ & montium fundamenta & universam molem hanc Orbis super se positam videbat, præclusâ sibi omni libertatis spe. Tenent Perse terram, ceu cucumerem aquis innatare. Chardin Scientia Perfarum tom. 2. c. 11. pagin. 153. Gallicè.

In ipso hujus abyssi orbisque centro, ex Hebræorum sententiâ, infernus constituebatur.

e Job. 26. 7. f. Isai. 40. 12. Hunc textum ita reddunt nonnulli: *Mensurat pulverem terræ in trientali.*

g Proverb. 8. 29.

h Psal. 17. 8. Isai. 24. 18. Psal. 81. 8.